



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

154. Novitius, qui ex licentia sui Superioris per aliquos dies in domo paterna moratus est, dicatur interrupisse annum sui novitiatus, ita ut professio postea facta sit nulla? Ex p. 7. tr. 11. & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

tiam in tetminis docet Tamburinus *de iure Abbatum*, tom. 3. disp. 6. quest. 17. n. 8. ubi sic ait: [Si quæras, an Nouitiatu sit interruptus, quando aliquis Oblatus, vel Conuersus ad statum Clericorum transfertur, & consequenter sit iterandus? Respondeo, quod non est iterandus: quia sufficit, vt per vnum annum maneat sub obedientia Prælati, & tunc probationis annum legitime impleuit, maxime cum Nouitius non teneatur omnes asperitates Regulæ experiri in specie, sed satis est, si probet in genere perseverando sub dicta obedientia Prælati per annum. Ita ille: & post illum amicissimus, & doctus Pater Lezana in *Summa* 99. Regul. tom. 4. verb. *Professio Regularis*, num. 10. sic asserens: Pro casu tamen, qui sæpius inter Regulares contingere solet, scilicet, quod cum aliquis Nouitius Nouitiatum in totum, vel partem in iuxta morem Conuersorum peregerit, postea verò in Professione ad Clericatum admittatur, vel aliquando etiam è contra; notandum est valde probabile esse, talem Professionem esse validam, & illum Nouitiatum sufficientem fuisse pro tali Professione faciendi. Quia ad Probationis annum legitime implendum, satis est, quod Nouitius vno integro anno sub obedientia Prælati existat. Ita Lezana in editione Veneta in folio impressa: nam in aliis hæc non inveniuntur. Hanc etiam sententiam tenet Sanctorius in *Constit. Fratrum Minorum*, c. 2. stat. 24. & illam supponit Portel in *dubis Regul.* tom. 1. part. 2. cas. 8. loquens de Nouitio, qui annum Nouitiatum in statu laicali peregit, & postea inuitus emisit Professionem in statu clericali. Et post hæc scripta inveni nostram sententiam firmari etiam à Bordonò in *const. regul. tom. 2. Resol. 44. num. 230.*

Sup hoc è
contra in fine
§. seq. &
in alia Ref.
eius annot.

Supr. hoc,
quod hic do
cet supra
cursum inter
medium &
finem, §. præ
teriti, & ma
gis latè in
Ref. 178.

Super hoc
Verbo nõ po
tèst, supra ad
medium, §. 2.
huius Ref. &
in aliis eius
annot.

4. Restat modò respondere ad argumenta in contrarium adducta, & ad declarationem Sacre Congregationis adductam respondet Peirinus tom. 2. de *Prælatu*, q. 3. cap. 1. §. 5. num. 148. vel non esse veram, vel non esse vsu receptam: & idè docet, quod quando aliquis Clericus transfertur ad statum laicalem, non eget nouo Nouitiatu. Et ita etiam docet Pellizzarius in *Man. Regular.* tom. 1. tract. 2. c. 1. n. 30.

5. Ad secundum argumentum, scilicet, ad Decretum Clem. VIII. adductum, respondet Sanctorius *vbi supra*, & Bordonus *tom. 1. resol. 29. n. 95.* quod in dictis verbis Decreti nihil agitur de valore Professionis; sed tantum dicitur, non posse Conuersum in anno probationis, neque post Professionem, transire ad statum clericalem. Vnde nota, quod aliud est transire, quod respicit agere propria autoritate; aliud transferri, quod indicat actum alterius potentis transferre: itaque per illud statutum non auferitur potestas Superiori; sed subito negatur transitus propria voluntate ad altiorum statum, ad quem nemo debet accedere, nisi prius vocetur. Itaque in his verbis Pontifex factum prohibet, non irritat. Et ita etiam, præter Sanctorium, & Bordonum, docet nouissimè Pellizzarius *vbi supra tract. 3. cap. 3. n. 31.* Nec doctrina Sanchez de verbo, *non potest*, adducta in contrarium, est semper vera, vt nominatim contra illum probat Quintanaduenas in *Theolog. moral.* tom. 1. tract. 2. singul. 7. num. 4.

RESOL. CLIII.

An egressio Nouitij è Monasterio cum licentia tamen Superioris interrumpat annum Nouitiatu?
Et quid si licentia sit illicite data?
Et in dicto casu, an possit extra Monasterium demorari non solum per vnum, vel duos menses, sed etiam per maiorem partem anni?
Et an interrumpatur annus Nouitiatu, si Nouitius

revento habitu perterritus seueritatis Superioris, seu Magistris è Monasterio abdit è exeat causa se celandi dummodo animum habeat redeundi?
Et quid, si revento habitu indebitè, & sine licentia exeat è Clausura, dummodo ad Monasterium redire intendat? Ex p. 3. tr. 2. ref. 84.

§. 1. **V**T, v. g. si ob malam valetudinem Nouitius in domo secularium se transferat, vel ad videndos parentes, vel recreationis causa, &c. Negatiuè respondendum est cum Graffio *part. 1. lib. 3. c. 1. n. 18.* Zanardo in *direct. Theol.* part. 2. c. 6. Gratiano in *discep. to. 1. c. 1. 66. n. 14.* & aliis communiter, quod etiam verum esse puto, licet illicite, & sine rationabili causa concessa fuisset à Superiore Nouitio licentia morandi extra Monasterium. Nam in tali casu licet Superior illicite præfians licentiam peccet, ex hoc tamen non sequitur quod annus Nouitiatu interrumpatur, & ita docet contra Nauarrum Suarez de *Relig.* tom. 3. lib. 5. c. 14. n. 13.

2. Nota etiam contra Emanuelem Rodriguez, quem nouissimè sequitur Hieronymus Rodriguez in *compen. 99. Regul. ref. 101. n. 44.* Nouitium extra Monasterium de licentia Superioris posse demorari, causa, v. g. morbi curandi, non solum per vnum, vel duos menses, sed etiam per maiorem partem anni, & ita docet contra Rodriguez Pater Sanchez in *sum. tom. 2. lib. 5. cap. 4. n. 28.* & citat Nauarrum *lib. 3. cons. 4. in prima edit. tit. de Regul. & Azorium tom. 1. lib. 12. cap. 2. quest. 8.* loquentes de Nouitio, qui decem menses, & semi-mensem extra Religionem demoratus est, & residuum tantum in illa permansit. Imò Azorius loquitur de Nouitio, qui toto probationis anno extra Conuentum apud secularem demoratus est, cum licentia tamen Superioris.

3. Nota etiam hic obiter, quod non interrumpatur annus Nouitiatu, si Nouitius revento habitu perterritus seueritatis, vel iracundia Superioris, seu Magistris, è Monasterio abdit è exeat causa se celandi dummodo animum habeat redeundi, & ita docet Galuanus *const. 12. num. 8.* Et idem dicendum est, si Nouitius revento habitu indebitè, & sine licentia è Clausura, dummodo ad Monasterium redire intendat, & ita tenet Suarez *vbi supra de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 14. & alij.*

RESOL. CLIV.

An Nouitius, qui ex licentia sui Superioris per aliquos dies in domo paterna moratus est, dicatur interrupisse annum sui Nouitiatu, ita vt professio postea facta sit nulla? Ex p. 7. tr. 1. & Misc. 2. Ref. 38.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Ioannes Antonius Nauarius in *summa Bullarum part. 2. tit. de Nouitijs recipiendis in Monasterijs destitatis*, num. 2. & sequenti, ubi sic ait. Amplia primò, vt tempus anni quo Nouitius debet permanere in Monasterio designatum debeat esse continuus, nec possit frangi, aut discontinuari sub quouis pretextu, quia in illis quæ sunt de forma obseruatur rigor, vt per Ruin. in *rubr. de nou. oper. num. 19.* & rigor iure optimo ab hac constitutione est inductus, quia cum annus nouitiatu detur in subsidium humane fragilitatis, & ad fauorem tam Nouitij, quam Monasterij, vt & ille expectatur Religionis asperitates, & cum illis suas vires metatur, & Monasterium possit cognoscere mores, & animum nouitij iuxta dispositionem text. in *cap. nou. solum de regul. in sexto.* consequens est non satisfacti dispositioni dictæ Constitutionis, quandiu procul à regulari disciplina, & ab oculis superioris, nouitius

etiam in domo paterna, benevole habetur, quia for-
 sa in illis diebus & noctibus, quibus extra Mona-
 sterium degit, occurreret aliqua asperitas in Religio-
 ne, quam ferre, vel nolle, vel non possit, & propter
 illam asperitatem decerneret non profiteri. Imò Rota
 in *decisionibus* 175. parte 1. tom. 1. in *recent.* iuxta Re-
 solutiones Eminentissimorum Dominorum Cardina-
 lium Sacri Concilii Tridentini interpretum iudica-
 vit Novitium, qui non stetit continuo per annum
 probationis, seu Novitatus intra claustra Monasterij
 destinati, sed sæpius egressus est, & moratus in domo
 patris, in qua aliquoties pernoctavit, ex causa infirmi-
 tatis, & de licentia sui superioris non satisfecisse
 menti huius Constitutionis & fuisse declaratam nul-
 lam professionem: quam sententiam sequutus sum
 ego in facti contingentia cuiusdam regularis Ordinis
 Montis Carmeli huius Civitatis, qui extra Monaste-
 rium Sanctæ Mariæ Vitæ per aliquot dies causa infir-
 mitatis sui patris, & cum licentia superioris in do-
 mo paterna permansit, & pernoctavit. Hucusque
 Novarius.

2. Sed eius opinionem prorsus refellendam esse
 puto, quam in specie damnat Franciscus Bordonus in
trakt. de Professione Regulari capite 4. questione 14. ubi
 probat in terminis Bullæ Clementis VIII. Novitium
 in Anno probationis per aliquod tempus manens ex-
 tra Conventum sibi deputatum pro Novitatu pera-
 gendo, si cum licentia superioris maneat extra illum
 minimum annum Novitatus interrompere, & eius pro-
 fessionem esse validam. Et ratio est, quia qui cum ha-
 bitu manet extra Monasterium de licentia superioris,
 dicitur exorare in Monasterio, ut docet Abbas
 in *cap. ex rescripto de iur. num. 5.* Vide Miran-
 dam in *Manual. Pralat. tom. 1. questione 22. articulo 5.*
 & Vecchium in *Praxi Novit. disp. 11. dub. 3. n. 10.*

RESOL. CLV.

An in continuatione anni Novitatus detur parvitas
 materia? Ex p. 5. tract. 5. Ref. 19.

§. 1. Affirmativam sententiam docet Lessius lib. 2.
cap. 41. dub. 7. num. 59. ubi sic ait. Annus
 probationis debet esse continuus, quia quando ius cer-
 tum tempus, ut annum, vel mensem requirit, intel-
 ligendum est de tempore continuo, ut docet Ioan.
 Andreas in *cap. 1. de elect. in 6.* & alij. Deinde, quia
 annus assignatur, ut experiatur austeritates Religio-
 nis, has autem melius experitur continuando, quam
 dividendo. Denique ita habet consuetudo. Glossa ta-
 men in *reg. cum qui, de reg. iuris in 6.* tenet sufficere
 annum interpolatum, quod Panor. in *cap. ad Apo-
 stolicam 16. de regularibus, num. 9.* non retineat, est
 contrarium putet verius. Idem tenet Barthol. Brix. ut
 refert Panor. & Specul. p. 4. rit. de *statu Monach. §. 1.*
 §. 37. etiam si longa fuerit intermissio, crediderim sa-
 ne paucorum dierum interpolationem non impedire.
 Ratio est, quia non minus idcirco experitur austeri-
 tates Religionis, si postea totidem dies, quot inter-
 misit, suppleat; atqui tota ratio cur annus debeat esse
 continuus, est, ut experiatur austeritates Religionis,
 ut alij Doctores fatentur. Accedit quod paucorum
 dierum intermissio non censetur impedire moralem
 continuationem. Ita Lessius *ubi supra.* Et hanc sen-
 tentiam videtur etiam docere ex Navarro, & Azorio
 noster Naldus in *summ. ver. Novitius, num. 4.* qui cum
 dicat interrupti novitium per exitum Novitij à claustro
 per tres, aut quatuor dies sine licentia sui Superioris,
 videtur docere exitum unius, vel duorum dierum
 non esse sufficientem ad hanc interruptionem indu-
 cendam; vide etiam Lorichium in *Thez. ver. regulares,*

§. 9. vers. si autem sine licentia, & Scorbum ver. No-
 vius vers. secundo est.

2. Sed non delectam hic apponere sententiam
 Suarez de *Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 1. §. n. 6.* ubi sic ait.
 Mihi autem videtur magis esse considerandam gravi-
 tatem actionis per quam interruptitur probatio novi-
 tatus, quam temporis diuturnitatem, quia aliàs nihil
 certum de hac interruptione, cuiusque sufficientia dici
 poterit, sed relinquendum erit uniuscuiusque arbitrio;
 alicui enim videbitur parva mora trium, vel quatuor
 dierum, alij verò magna. Quocirca censeo si quis di-
 misso Religionis habitu egressus est, eo ipso inter-
 rumpi annum probationis, etiam si paulò post intra
 diem pœniteat, quia eo ipso amisit statum, quem
 habebat, & indiget nova receptione, & admissione,
 ut possit iterum Novitius esse. Sicut ergo hæc poste-
 rior receptio distincta est à prima; ita novitatus in-
 cipit esse distinctus, atque hæc regula videtur mihi
 satis probabilis, ut quoties iuxta consuetudinem &
 modum Religionis censetur nova receptio necessaria,
 annus etiam probationis sufficienter interruptus exi-
 stimetur. Vnde quod Navarrus ait annum interrupti
 per exitum trium, vel quatuor dierum à Monasterio
 sine licentia Superioris, si intelligatur de exitu totali,
 id est, animo non redeundi, & dimisso habitu, non
 solum verum est, sed etiam sine limitatione temporis
 fuisse asserendum, quia actus ipse per se sufficit, & mor-
 taliter interruptit perseverantiam, & constantiam,
 propter quam continuitas in probatione postulatur.
 Si verò sit sermo de exitu animo redeundi, præsertim
 cum habitu, non credo interrupti novitatum, etiam
 si sit per aliquot dies, nisi recognita à Prælo dimit-
 tatur, per ea, quæ superius adduxi. Huc vsque Suarez,
 cui adde Faustum in *Thez. relig. lib. 5. quest. 164.*
 Barthol. de Vecchis in *praxi Novit. disp. 11. dub. 3.*
 num. 7. Sanchez in *summa, tom. 2. lib. 5. cap. 4. num. 32.*
 Peregrinum in *nostr. constit. part. 2. cap. 1. littera C.*
 §. 8. vers. sed quid. & alios. Vide etiam Salvanum *conf.*
 12. & Acugnam in *cap. 1. num. 17. dist. 54.*

RESOL. CLVI.

An sit reuocatum privilegium Iulij II. concessum Mi-
 noribus, ut Novitatus interruptus possit continuari?
 Ex p. 3. tract. 2. Ref. 89.

§. 1. Emanuel Rodriguez in *qq. Regul. tom. 3. qu. 15.*
 art. 8. referens multos viros doctos, tenet
 hoc privilegium per Concilium Trident. *sess. 25. de*
regul. c. 25. non esse reuocatum, in quo tantum defi-
 nitur, quod annus debeat esse integer, non autem quod
 debeat esse continuus; ex quo inferri posse hodie om-
 nes Religiosos privilegio Mendicantium fruente,
 ut hoc privilegio.
 2. Verùm Villalobos in *summ. tom. 2. tract. 35.*
diffic. 35. n. 9. sentit dictum privilegium sublatum esse
 à Tridentino, ita declarante Sacra Cardinalium Con-
 gregatione, & in facti contingentia ita Romæ fuisse
 decilum testatur ex Navarro, ac idè iudicat nullo
 pacto debere Prælatos aliter ad professionem admit-
 tere, nisi post annum probationis continuum exple-
 tum. Et ita hanc sententiam tenet etiam Faustus in
thes. Relig. lib. 5. §. 166. & Sanchez in *summ. tom. 2. lib.*
5. cap. 4. à num. 30.

Sup. hoc le-
 ge doctrinā
 trium præce-
 dentium Re-
 solutionum,
 & in tom. 3.
 tr. 1. Ref. 171.
 §. ult. per ta-
 tum &c.

RESOL. CLVII.

An ut valida sit professio, annus Novitatus sumendus
 sit de momento ad momentum?
 Et an idem dicendū, si Novitius, expleto an, Novitatus
 non